DECRETA SANCTISSIMI, SACRARVMQVE CONGREGATIONVM, IN CAVSIS INFRASCRIPTIS SOCIET. IESV.

BEATISSIME PATER.

SOcietas IESV ex Sedis Apoſtolicæ benignitate á ſęcu'o,& vltrà vtitur privilegio, quod ſan:mem:Gregorius XIII.eidemSocietati conceſſit in ſuaConſtitutione 77.*Bullar.Rom. Tom.2.die 22.Septembris* 1582. vt nimirùm eiuſdem Societatis Religioſi,prævia ſuorum Superiorum facultate, ad quoſcumque, tàm minores, quám Sacros Ordines promoveri valeant,á quolibet Epiſcopo,& Antiſtete,gratiam,& communionem dictę S.Sedis habente, abſque vlla functione,inquiſitione de idoneitate,alijſque requiſitis,& ſignanter abſque vlla interſtitiorum obſervatione,in tribus Dominicis,vel alijs feſtis diebus,etiam continuis;Quod Indultum Gregorius XIV., & Paulus V.ſan: mem: cum cæteris eidem Societati á Summis Pontificibus anteà conceſſis planè confirmarunt. Quoniam verò *die 14 decembris* 1693.Congregatio Particularis á Sanctitate Veſtra deputata, decretum edidit ſuper moderatione Indultorum ſuſcipiendi Ordines extrà tempora à iure ſtatuta; quamvis dicta Societas nec explicitè, nec implicitè videatur in eodem Decreto comprehenſa;nihilominùs ad omnem hæſitationem,quæ contingere poſſet,removendam,Tyrſus Gonzalez PrępoſitusGeneralis eiuſdemSocietatis humillimè ſupplicat S. V. vt dignetur,diſpoſitionem præfati Decreti nullatenûs involvere dictā Societatem. Quod ſperat,&c. Quam Deus,&c.

Commiſsio Sanctiſsimi ad relationem Illuſtriſsimi,& Reverendiſsimi D. Secretarij Memorialium.

Ad Dominum Viceſgerentem cum Sanctiſſimo.

Carolus Auguſtinus Fabronus.

DECRETVM, SANCTISS. D. N. INNOCENTII PP. XII.

Referente Illuſtriſsimo,& Reverendiſsimo D.Epiſcopo Interamnenſi Viceſgerente.

Die 27. Auguſti 1695.

Facto verbo cum Sanctiſſimo Domino Noſtro, Sanctitas Sua pręvia declaratione, quod in Decreto de Sacris Ordinationibus edito die 14.Decembris 1693. non comprehenduntur Clerici Societati Ieſu,ſpecialiter,& expreſsê mandavit,in eis ad Ordines promovendis ſervari Conſtitutionem Gregorij XIII. quæ incipit *Pium, & vtile*,datam 22. Septembris 1582.

Sperelus Epiſcopus Interamnen. Viceſgerens.

GREGORIVS PAPA XIII. AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

PIum,& vtile Societatis Ieſu Inſtitutum non patitur certa quædam ab ijs,qui ſub eius vexillo,& diſciplina ſalutari militant,obiri,quę in Sacris ineundis generalitèr præſcribuntu

§. 1. Quo circa cum dictæ Societatis, ac diſciplinæ Alumni nulli Eccleſiæ, nulliue loco certo mancipati ſint, vt ibi permaneant, ſed veluti viatores omni tempore parati, expectanteſque diem, & horam, qua, vel ad extremas Orbis Regiones, cum venit vſus, emittantur, vbi quiſque pro captu ſuo, & iuxtà datam ſibi à Domino ſapientiam ſe ſe in vinea Domini excolenda exerceat, eiuſque rei cauſa fel. rc. Paulus Papa III. Præpoſito eiuſdem Societatis conceſſerit, vt idoneos, & comprobatos ab ipſa Societate quibuſcumque mallet Catholicis Antiſtitibus, & gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicę habentibus, præſentare poſſet, qui illos ſic pręſentatos, abſque vlla promiſſione, vel obligatione, ad Ordines huiuſmodi promoverent.

§. 2. Nonnulli tamen Antiſtites, poſt Concilij Tridentini Decreta eos ſic præſentatos, priús in cuiuſque, tám minorum, quàm Sacrorum Ordinum huiuſmodi præſcripto munere exercitatos, temporumque determinatorum poſt ſuſceptos præſcriptum finem, antequam ad ſuperiores Ordines aſcendant, omninó expectandum, eoſque in eorumdem Ordinum functionibus, Chorique officijs plené inſtructos, & denique ſuper eorumdem vita, moribus, ætate, & natalibus ad Parochi inquiſitionem, aut aliàs teſtimonium, & certa alia requiſita habenda eſſe contendunt, quamvis non niſi ad eoſdem Ordines ſuſcipiendos numeris aliqui omnibus idonei dimittantur.

§. 3. Nos his incommodis, quantúm in nobis eſt, occurrere volentes, omnibus Epiſcopis, & alijs Antiſtitibus præſentibus, & futuris, in perpetuum pręcipimus, atque interdicimus, ne ab huiuſmodi promovendis, qui licentiam à Præpoſito Generali dictæ Societatis pro tempore exiſtente, vel ab eo Delegatis habuerint, quidquam prędictorum requirant, vel exigant, ſed ipſos etiam abſque vlla functione, in ordinibus ipſis, interſtitiorumque ad illos ſuſcipiendos obſervatione, aut inquiſitione de Cantu, Officijs, & Ceremonijs Eccleſiaſticis, idoneitate proprij Ordinarij licentia, & alijs in alijs requiſitis ad minores, ac etiam extra tempora à iure ſtatuta, tribuſque Dominicis, vel alijs feſtis diebus etiam continuis ad Sacros, etiam Presbyteratus Ordines, promoveant, ac ſi illi omnibus requiſitis prędíti eſſent. Nos enim illis Ordines omnes prædictos ſic ſuſcipiendi, ac prædictis Antiſtitibus eos ipſis conferendi facultatem tribuimus.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Pręſentis autem gratiæ communicationem omnibus alijs, etiam qui ſua privilegia cum ipſa Societate copiosè participant, participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omninò prohibemus. Cæterùm quiá difficile eſſet præſentes quocumque illis opus erit deferre.

§. 5. Volumus, vt earumdem pręſentium tranſumptis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu etiam dicti Prępoſiti munitis, eadem prorſus fides, in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Tuſculi, ſub annulo Piſcatoris die xxij. Septembris milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo, Pontificatus Noſtri Anno Vndecimo.

Mechlinien. Ordinationis.

Archiepiſcopus Mechlinienſis per libellum à Sanctiſsimo remiſſum, Oraculum S. Congregationis Concilij Tridentini exquiſivit, ſuper iure examinandi, & ad Ordines promovendi Religioſos Societatis Ieſu, duplici Dubio propoſito.

PRIMVM DVBIVM.

An Clerici Societatis IESV Sacros ordines ab Archiepiſcopo Mechlinienſi ſuſcepturi, debeât ſe ſubijcere examini, prout cæteri Regulares.

Die 5. Iulij 1681. S. Congregatio Concilij reſpondit Negativé, niſi adſit conſuetudo in contrarium.

DVBIVM SECVNDVM.

An Clerici Societatis Ieſu habitantes in Diœceſi Mechlinienſi, Archiepiſcopo Ordinationem ha-

habente, poſſint extra Diœceſim Mechlinienſem ordinari ab alio Epiſcopo in propria Diœceſi.

Dicta die 5. Iulij 1681. & 8. Maij 1683. Sac. Congregatio reſpondit, Affirmativè.

Mechlinien. Miniſtrationis SS. Euchariſtiæ Sacramenti.

Conquerentibus nonnullis Parochis, & Dubium infraſcriptum proponentibus in Sac. Congregatione Concilij Tridentini.

An PP. Societatis Ieſu, aliiſque Regulares poſſint miniſtrare Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum Perſonis ſæcularibus a Dominica Palmarum, vſque, & per totam Dominicam in Albis.

Die 31. Ianuarij 1682. Sac. Congregatio reſpondit, Affirmativè, excepto die Paſchatis; Ita tamen, vt Sęculares ſumentes Euchariſtiam in Eccleſijs Regularium in alijs diebus à Dominica Palmarum, ad Dominicam in Albis incluſivè, non ſatisfaciant pręcepto Eccleſiaſtico.

Sicula, ſeu Mazzarien. dimiſſionis.

Ambroſius Maſſa Siculus, é Societate à Provinciali dimiſſus, anno 1634. de iniuſta dimiſſione ad Præpoſitum Generalem reclamavit, Societaté repetere contendens; ſed dimiſſionis actu à Generali confirmato, cauſam reingreſſus introduxit coràm Sac. Congregatione Epiſcoporum, & Regularium: quæ auditis Partibus, dictoque Maſſa acerrimè informante, reſcripſit primó, *Acquieſcat in Domino.*

Eo tamen non acquieſcente, novamque audientiam obtinente, ſecundum reſcriptum à Sacra Congregatione prodijt, *Acquieſcat omninò.*

Omnem movit lapidem Maſſa, vt tertió audiretur, quo ex mira S. Congregationis benignitate impetrato, tertium quoque reſcriptum emanavit: *Nihil.*

Sic igitur firmata dimiſſionis validitate, eiuſdem Sacræ Congregationis Iudicium INNOCENTIVS DECIMVS ſanctæ memoriæ die 27. Aprilis 1648. conſtanter approbavit, *& perpetuum Ambroſio Maſſe ſilentium indixit.*

Neapolitana Remotionis.

Remotionem N. N. Religioſo Societatis Ieſu á quodam Collegio detrectante, nec ad conſuetum Obedientiæ nutum, ſed ad alterum Collegium transferente, immò ad Sac. Congregationem Epiſcoporum, & Regularium, ſupplici oblato libelo recurrente, vt in Collegio ſibi placito, tuendæ valetudinis gratia immorari liceret:

Die 27. Junij 1692. Sac. Congregatio reſcripſit; *Pareat omnino.*

Limana Eiectionis.

Archiepiſcopus Limanus in Indijs petijt declarari à Sac. Congregatione Concilij Tridentini.

An Patres Societatis Ieſu in Sacris conſtituti, iuxtá Indulta, & Privilegia eiuſdem Ordinis, & poſtea dimiſſi, ſeu eiecti, abſque patrimonij, aut beneficij Eccleſiaſtici aſſignatione ad propriam ſuſtentationem competente, iuxtá Conſtitutionem Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. de reform. cap. 2.* habeantur vt ſuſpenſi ab executione præfatorum Ordinum; & quatenùs non ſint ſuſpenſi; An Religio teneatur illis providere de honeſto victu ſaltem in reddıtu 40. aureorum, donec ſufficiens beneficium fuerint aſſecuti.

Die 11. Februarij 1662. Sac. Congregatio reſpondit: *Religioſos Societatis, poſt tria vota ſimplicia dumtaxat, vigore privilegiorum eiuſdem Societatis, dimiſſos, non comprehendi in Conſtitutione Urbani VIII. de Apoſtatis, & Eiectis.*

Quo reliqua nihil innovandum.

Ge

Gerundeñ. Patrimonij.

Martinianus Batlle Gerundenſis, Sacerdos pauper, é Societate dimiſſus; ne cum Ordinis dedecore mendicare cogeretur, ſupplicem libellum obtulit Sacræ Congregationi Concilij Tridentini; inſtans, vt ſibi provideretur de annuo reddito 40 aureorum ex bonis Religionis; vndè propoſitum fuit Dubium;

An ſecundum ea, quæ proponuntur, Oratori provideri debeat de dicto annuo reddito ſuper bonis Religionis.

Die 4. Iunij 1672. Sacra Congregatio perpenſis deductis, tum pro parte Oratoris, tum pro parte Religionis reſpondit, *Nihil eſſe innovandum.*

Panormitana prætenſæ Congruæ.

D. Georgius Vaccarinus Sacerdos Siculus, quęſtionem hanc, de alimentis Sacerdoti pauperi, è Societate dimiſſo præſtandis, noviſſimé reaſſumpſit, & congruam 40. aureorum ſibi aſſignari de bonis Societatis, tum voce, tum ſcripto acritèr inſtitit; ſed Societate Sanctiſſimum rogante, pro diſcuſſione quęſtionis, quoad perſonam Vaccarini dumtaxàt, non autem in abſtracto: SANCTITAS SVA audita relatione ſibi facta de ſpeciali eius commiſſione ab Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Raynutio Pallavicino eiuſdem Sac. Congregationis Secretario, *Die 2. Decembris 1694. mandavit, vt ſuſpenſa propoſitione in abſtracto, idem Dubium proponeretur in concreto tantùm, ac in caſu particulari dimiſſionis Sacerdotis Georgij Vaccarine; nec vltra eſſe innovandum, ne fiat in Societate Ieſu turbatio, ac ſtatus eiuſdem immutatio:*

Itaque duplici Dubio propoſito:

Primó, An Georgio Vaccarino ordinato Sacerdoti ad titulum Religioſæ paupertatis in Societate Ieſu, & de inde ab ea dimiſſo, debeatur congrua portio, ſaltém aureorum quadraginta annuorum.

Secundò, An eidem ſint ſubminiſtranda alimenta, & ſumptus litis. Sac. Congreg. ita reſcripſit, *Die 28. Maij 1695. Sac. Congregatio Eminentiſs. S.R.E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum iuribus ab vtraque Parte deductis maturè perpenſis, ad vtrumque reſpondit, Negativè.*

G. Card. Mariſcottus Pro-Præfectus.

R. Pallavicinus Secretarius.

Et facta de præmiſſis ab eodem Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Pallavicino Secretario relatione SANCTISSIMO die 4. Iunij 1695. SANCTITAS SVA favorabilem Societati ſententiam Sac. Congregationis approbavit, & mandavit, Vaccarinum, *Non eſſe ampliùs audiendum, ac in poſterum nihil innovandum.*

Repetitis verò per D. Vaccarinum precibus coram SANCTISSIMO in audientia publica, eoque inſtante cauſam committi de Voto Rotæ; SANCTITAS SVA die 16. Iulij 1695. denuó referente eodem Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Pallavicini Secretario ex ſpeciali commiſſione ſibi facta, *Stetit in Decretis 4. Iunij prædicti.*

Et cum rurſus die 27. eiuſdem menſis Iulij alium ſupplicem libellum in publica audientia, Vaccarinus SANCTISSIMO obtuliſſet, petens ſibi, & cæteris Sacerdotibus é Societate dimiſſis alimenta præſtari, ſub prætextu novæ ſcripturæ repertę, obligationem præſtationis huiuſmodi inducentis; quæ tamen ſcriptura ſatis antiqua eſt, ſæpè examinata, in antecedentibus Iudicijs reproducta, recèns recocta, hocque ſemper ex pluribus, ſolidiſque rationibus à Sac. Congregatione habita, SANCTITAS SVA reſcripſit: *Acquieſcat.*

ROMÆ, Typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ. MDCXCV.

Superiorum Facultate.